DE

VERBORUM TRANSPOSITIONIBUS

IN

CORNIFICI RHETORICORUM AD C. HERENNIUM

LIBRIS.

PARTICULA PRIMA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS HOFFMANN

BURCENSIS.

MONACHI.

TYPIS GODOFREDI SCHOENINGERI WEISSIANIS.

MDCCCLXXIX.

Praefatio.

De Cornifici rhetoricorum libris quod non eandem omnes aequam sententiam tulerunt viri docti, haud scio an non sine aliquo iure Kayserus in praefatione ed. crit.*) p. XV. in. tribuerit ingenti illi foedissimarum interpolationum multitudini, quae iustae eorum existimationi obstare viderentur, quamquam non minore in culpa nobis sunt, quae aliae sordes obruerant adhuc libros Cornificianos. Etenim quae in aliis quoque libris haud raro vitia deprehenderis et librariorum in transcribendo seu incuriae seu socordiae merito adsignaveris, eorum in his libris tantam molem offendimus, ut ad ea ipsa omnia indaganda investigandaque haud mediocri studio atque labore opus esse videatur.

Accedunt, quae propria hos libros vitia premant. Quorum in numero principem locum et nos ipsi concedimus illis interpolationibus cum multitudine tum foeditate insignibus, quae mirum in modum Cornificianae orationis quandam siccitatem atque ieiunitatem interpellent. Earum autem duplex maxime genus distinxeris: unum earum, quas — ut in libris in scholarum usum medio quod dicitur aevo

*) Cornifici rhetoricorum ad C. Herennium libri IV. Recensuit et interpretatus est C. L. Kayser. Lipsiae MDCCCLIV.

praecipue adhibitis — intempestivo explicandi seu interpretandi studio deberi perspicuum est, alterum earum, quas recte dicas ex Ciceronis de inventione libris in hos libros esse translatas, et ab iis, qui decepti eorum librorum aliqua inter se similitudine, quae de iisdem rebus pleniora legerent apud Ciceronem, ea quasi in Cornifici libris omissa suo iure restituere sibi viderentur, nec non ab iis, qui de industria Ciceronis verba in nostram artem inferrent, ut eam et ipsam pro Ciceroniana venditarent.

Cuius utriusque interpolationum generis cum in antiquissimis qui aetatem tulerunt codicibus plurima exempla inveniuntur, tum in recentioribus libris manu scriptis tantus numerus occurrit, ut nihil morantes nonnulli viri docti eorundem librorum virtutes omnem prorsus fidem iis abrogandam esse putaverint. Velut Halmius*) conatus est comprobare, subsistendum esse in vetustiorum codicum auctoritate. Quod utinam doctissimus vir omnibus persuasisset. Namque quod Spengelius**), Simonius***), Destinonius†), alii gravissimis argumentis confirmarunt, ne recentiores quidem codices omni omnino fide carere, quippe qui aliquot locis uni vetustiorum codicum lacunas ad archetypi libri fidem veris Cornif. verbis expletas offerrent, non minutae sed auctae esse videntur factitandae artis criticae difficultates. Et accidit, ut in libris si qui alii turpissimum in modum depravatis ne de codicum quidem ratione satis compertum habeamus, cum sexcenties nunc, recentiorum

*) Rhein. Mus. XV. p. 536 ff.

**) Rhein. Mus. XVI. p. 391 ff.

***) Die Handschriften der Rhetorik an Herennius. I. Abtheilung. Programm der k. Studienanstalt zu Schweinfurt. 1863.

†) De codicum Cornificianorum ratione I. Kiliae MDCCCLXXIV.

an vetustiorum librorum auctoritatem potius sequaris, in incerto necesse sit relinquatur.

Sed nescio quo modo factum est, ut, qui nostra aetate his libris operam navarunt viri docti, ii ad unum fere omnes in odorandis exstirpandisque verbis interpolatis singulari quodam studio sint versati nec non genuina interdum, pro adulterinis habita, alia alii item in exilium miserint. Verum enim vero, quae nimio dilucide dicendi studio fusius nonnunquam Cornificius perscripsit, quo efficacius ad rhetoricae praecepta institueret rude eius artis ad illud usque tempus Herenni ingenium, ea et ipsa nequiter a quibusdam in interpolationis suspicionem sunt vocata. Eiusdem generis sunt ii loci, in quibus proposita supra sententia et pluribus deinceps illustrata cum emphasi quadam iisdem aut similibus verbis infra redintegratur; quae res, ut est artis magistro dignissima, ita nullius scrupulum movere debebat. Est, ubi Ciceronis de inv. libri ansam dederint ut interpolatoribus ipsis ita interpolationum quos aiunt venatoribus, cum hi modo, quae de eadem re plura apud Cornificium legerent quam apud Ciceronem, propter id ipsum interpolata esse sibi persuaderent, modo, quae in discrepanti rerum contextu eadem apud utrumque deprehenderent, ex Cicerone in Cornificium translata esse temere pro explorato haberent, neque quidquam pensi iis esset, quae ratio inter illos libros intercederet. Quid mirum, quod in pervulgata illa interpolationum quasi venatione sexcentis illis locis, ubi depravata haud dubie Cornifici verba nobis offeruntur, ad vilissimam illam exstirpandi rationem plerosque statim confugere videmus, quasi haec una libris nempe multifariam interpolatis medicina possit parari?

Sed de interpolationibus quid videatur, simulatque a

cotidiano puerorum institutionis munere aliquid temporis supererit, alio loco uberius disputandi occasio nobis offeretur. Hoc loco satis fuerit commonere, delitescere in illis quae feruntur interpolationibus haud raro vel gravissima vitia, quibus aliis conflictati sint libri Cornificiani.

Accidit enim in his libris, qui tantas illas iniurias experti sunt, ut male mutatus interdum etiam verborum ordo nobis praebeatur, ita ut modo singula vocabula, totae modo sententiae ab uno in alterum locum translatae esse videantur. Qua in re fieri non potuit, quin duplex damnum scriptoris verbis contraheretur, cum hic omitterentur, quae sine detrimento sententiae deesse non possent, illic, quae rerum ac verborum seriem interrumperent, prave inferrentur. Quae verborum transpositiones adeo saepenumero conspicuae sunt, ut mireris, quod nemo adhuc unus in disceptationem quaestionemque eas vocaverit.

Unde consilium nobis ortum est quaestionem instituendi de verborum aliquot transpositionibus, ut si nihil aliud, hoc saltem adsequeremur, ut demonstrata alia emendandi ratione ad Cornifici libros peraccommodata, quantum esset in nobis, dissuaderemus ab illa via temere insistenda, quae, quamvis viatorum pedibus trita, non neminem tamen inprovide ingredientem transversum egisset.

Quaerentibus autem nobis, unde profectae esse videantur illae in libris transpositiones, ut interpolationum supra, sic earum ipsarum duplex potissimum genus nobis erit distinguendum: unum earum, quae ex homoeoteleutis natae sint, alterum earum, quarum in causis fuerint Cic. de inv. libri.

Et illud quidem transpositionum genus, quod ortum esse diximus ex homoeoteleutis, pluribus verbis quin etiam

duabus tribusve nonnunquam sententiis continetur, unde perspicuum est, quae, deerrantibus ab una in alteram vocem librarii oculis, media omittebantur, ad plures interdum versus pertinuisse et, cum errore patefacto in margine postea essent adscripta, non exiguam eius ipsius partem implevisse, ita ut difficile iam esset disceptatu, viro praesertim linguae latinae si non inscio at mediocriter tantum perito, cuiusnam maxime versus essent verba margini adscripta. Fert autem humana natura, ut, quotiescunque certa ratio deerit et ad arbitrium omnia erunt dirigenda, eo vel maxime inclinet animus, quo minime debeat inclinare. Neque erit, qui adeo miretur, si hic et illic deprehenderit librarios perverso loco scriptoris verba ex margine in textum restituisse.

Sed rarius offendas in ipsis illis verbis, quae proprie transposita i. e. alieno loco ex margine in textum restituta esse videbis, quam in iis, quae illa verba transposita prave aut antecedunt aut sequuntur, quippe quae, disturbata connexa serie rerum ac verborum, inania plerumque trahantur. Quod cum ita sit, iam iudicabis, quo loco sint eorum studia, qui eiusmodi verba, bene sana et vere Cornificiana modo ex uno in alterum locum transposita, aut coniecturis tentare aut pro interpolatis exturbare velint, quamquam ne interpolatore quidem ipso nisi insano aliqua ex parte digna esse videntur; nisi forte quis putat, interpolationes et ipsas quodammodo transpositas h. e. alii loco adscriptas alio loco in textum perperam illatas esse.

Iam quae ex Ciceronis de inv. libris profectae videntur esse verborum transpositiones, de iis non poteris facere iudicium, nisi, quae ratio inter Ciceronis et Cornifici libros intercedat, compertum habebis.

Quod si verum est, quod ait I, 9, 16 extr. Cornificius,

nova se de insinuatione excogitasse, quod eam solus praeter ceteros in tria tempora divisisset, totus ille locus, qui est de insinuatione, vel maximi erit momenti et ad recte aestimandum nostri scriptoris ingenium et ad diiudicandam rem difficillimam, in arte sua componenda utrum Cornificius Ciceronem adhibuerit, an Cornificium Cicero. Accidit enim, ut eadem illa insinuationis in tres partes divisione usum esse videamus utrumque. Qua de re velim inspicias, quae conscripserunt doctissimi viri Schuetzius*), Kayserus**), Baderus***), qui omnes contra divulgatam antea Burmanni sententiam gravissimis argumentis evicerunt, ut nostri homines fere pro explorato habeant, Ciceronem, cum de inv. libros conscriberet, nonnulla ad verbum de Cornificio deprompsisse, alia in describendo leviter mutasse. Qua de re neminem opinor verius iudicasse quam Spengelium†), qui de Cic. de inv. libris haec vernacula lingua dixit: „Der Verfasser hatte die Rhetorik ad Herennium vor sich liegen und benützt sie häufig, sucht auch fortwährend es anders und besser zu machen als jene, macht es aber gewöhnlich schlechter."

Sed impugnavit argutius quam verius nuperrime illam sententiam Weidnerus††) graviter invectus in eos, quibus nihil gratius videretur esse quam, quanto opere Cicero Corni-

---

*) in prolegomenis ad Ciceronis rhetorica. Lipsiae MDCCCIV. Vol. I. c. I. Idem in prolegg. ad Cic. opera quae supersunt omnia. Lipsiae MDCCCXIV. Tom. I. p. XLVII sqq.

**) in ed. crit. praefatione p. VI sqq. Idem in Münchner Gelehrte Anzeigen. Jahrgang 1852. Nr. 59—62.

***) in dissertatione inaugurali de Ciceronis rhetoricorum libris. Griphiswaldiae MDCCCLXIX.

†) Rhein. Mus. XVIII. p. 495.

††) in prolegg. ad Ciceronis artis rhetoricae libros. Berolini MDCCCLXXVIII.

ficium expilasset aut quam multa in hac fraude peccasset, quam copiosissime exponere. Iam mihi videbar et ipse operam perdidisse, quod dubium non est, quin aliqua ex parte futurum fuerit, si gravissima argumenta potuisset ille infirmare, quibus ceterorum nitebatur iudicium. Conatus autem est Weidnerus comprobare, Cornifici artem conscriptam et in lucem editam esse Ciceronis libris iam pridem ad umbilicum adductis. Quod ut evinceret, externa, quae alios parum curasse putaret, argumenta adhibuit. Quae omnia cum adeo non essent accommodata ad persuadendum ut, ad priores saltem Cornifici libros quod attinet, nihil possent imminuere certiorum testimoniorum fidem, exspectabam, de insinuationis illo loco quid videretur Weidnero, quippe quo uno firmissimo quasi fundamento putarem satis superque nisam esse contrariam aliorum sententiam. An dilucidius quemquam existimamus potuisse dividere, quae aliis sive scriptoribus sive magistris deberet, quae de sua ipsius sententia nova in medium protulisset, quam eum, qui l. l. scripsit: *'Adhuc quae dicta sunt, arbitror mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuatione nova excogitavimus, quod eam soli praeter ceteros in tria tempora divisimus'.* *) Quid autem hoc de loco Weidnerus? Arbitratur ille quidem (l. l. p. XV. med.) aut 'utrum-

*) Quae tria insinuationis tempora iam ab Anaximene significata esse persuasit sibi Kayserus. Sed sunt alia, quae legimus apud Cornificium I, 6, 9 in., quem locum postea tractabimus, alia, quae illi loco conferenda videntur esse in arte Anaximenis, velut scriptum est apud illum (Rhetores Graeci, ex rec. Spengeli vol. I. p. 215 sub fin.): 'καὶ τοῖς μὲν μήτε εὖ μήτε κακῶς διακειμένοις ἐκ τῶν τοιούτων τὴν εὔνοιαν ποριστέον, τοὺς δὲ διαβεβλημένους ἀναγκαῖον τὰς διαβολὰς ἢ αὐτοὺς ἔχειν, ἢ τὰ πράγματα, ὑπὲρ ὧν λέγουσιν, ἢ τὸν λόγον'.

que scriptorem eodem fere tempore idem in artificium parvolum sane incidisse'; — qua ratione et cuiuslibet plagiarii hominis potest furtum excusari; aut 'utrumque sapientiam suam accepisse ab illo doctore, cuius auctoritatem I, **11**, **18** tueretur Cornificius'. Sed diserte et plane dicit ille, quae de insinuatione nova excogitasset, non constare sibi **cum ceteris artis scriptoribus.** An putamus Cornificium, quamvis editis iam tum temporis de inv. libris, de artis scriptorum numero Ciceronem exemisse? Quid quod contra eundem alio loco (in prolegg. p. XIV. med.) subaudit (sic!) Weidnerus Cornificium disputantem — conf. cum Cic. inv. I, **11**, **16** med. Cornif. I, **11**, **18** — alio loco (ibid. p. IX. in.) vel sumit, alterum ab altero fuisse ignoratum? Nonne a se ipso ille dissidere tibi videtur? Denique Weidnerus id ipsum arbitratus est fieri potuisse, 'ut Cornif. inventum suum, alio ante loco velut in circulis sermonibusque expositum, cum ab alio praereptum videret, hoc tamquam suum litteris sibi vindicaret'. Sed quod esset illud veritatis et probitatis in Cicerone studium infra a Weidnero laudatum*), si alterius dicta et cogitata praeripuisset et pro suis venditasset; quae esset ridicula quasi ultio Cornifici, si Ciceronis vicissim in eadem re verba expilasset? Verum enim vero non in rebus tantummodo congruunt, congruunt etiam fere in verbis. Quid multa, cum ipse Weidnerus desperet gravissimum illum locum satis posse explicare? Nimirum haec verba quam maxime per-

---

*) velut dicit l. l. p. XV. sub fin. 'Extremum hoc dico: nihil impedit quominus sic statuamus, Ciceronem non minus quam Cornificium veritatis et probitatis studiosum fuisse'.

spicuum faciunt, quam non debuerit Weidnerus redintegrare Burmannianae illius sententiae memoriam, quae a doctissimis viris merito impugnata oblivione paene iam obruta erat.

Quae cum ita sint, non amplius dubitabimus facere cum iis, quorum iudicia breviter comprehendit illud Spengelianum, nisi quod quartum Cornif. librum post artem Ciceronianam conscriptum esse Weidnero haud inviti concedimus, quod idem ne Kayserus quidem negaverat.

Ut autem nostri homines ad unum fere omnes consentiunt, Ciceronem in componendis de inv. libris non pauca de prioribus Cornifici libris exscripsisse neque, quonam ex fonte ea hausisset, unquam prodidisse, ita, qui utriusque libros accuratius inspexerit, similitudines compararit, docendi rationem perquisiverit, non poterit ille non concedere, Ciceronem vel in discrepanti interdum docendi ratione verba duntaxat ex Cornif. deprompsisse et in usum suum convertisse, ita ut similibus seu iisdem nonnunquam verbis, ordine modo leviter immutato, praecepta contineantur apud utrumque dissimilia. Unde factum esse opinamur, ut mutuo ab hominibus posterioribus, cum maxime auctoris ad Herennium nomen in oblivionem esset adductum et Ciceronis nomini fere addicerentur illi libri, non solum totae sententiae ex Cicerone in eos transferrentur sed etiam, id quod maximi est momenti, ad Ciceronis exemplum ipsa nonnunquam Cornifici verba temere transponerentur.

Sunt igitur transpositiones ex eodem partim fonte profectae atque interpolationes. Et quod supra de interpolationibus, idem hic dicas de nonnullis transpositionibus: de industria falsarios quosdam homines, ut hi libri vere Ciceroniani esse viderentur, ad Ciceronis omnia ordinem adduxisse. Est autem etiam, ubi interpolandi occasioni defuerint

illi, transponendi non item. Cuius rei exemplo videbimus esse cum alios locos tum I, 9, 15.

Sed tanta saepenumero levitate, ne quid gravius dicam, in ea re sunt versati, ut nullam prorsus rationem haberent, alia apud Ciceronem, alia apud Cornificium illis locis aut antecedere aut sequi, Ciceronis, ubi eadem res ageretur, verborum temere ordinem aucuparentur. Quin etiam in rebus nonnunquam dissimilibus, verborum adducti aliqua similitudine ad Ciceronis exemplum eorum ordinem mutavere. Cuius perversi illorum studii nihil insigniori poterit esse documento quam illi loci, ubi eundem apud utrumque scriptorem in rebus proponendis verborum ordinem deprehendimus, cum in iisdem rebus explicandis alium ab alio ordinem infra institutum esse videamus. Velut I, 14, 24 post in.; II, 16, 23 post in. Perspicuum enim est illis locis, propositionis ordinem in Cornificio, ut in scriptore disputationis ordinem religiose observante, prave ad Ciceronis exemplum esse commutatum.

Sed recentiores Cornifici editores nescio quomodo tantum abest, ut eiusmodi locis confugiant ad verborum transpositionem, ut propter eam ipsam cum Cicerone verborum quandam convenientiam vel nequissimam lectionem retineri iubeant; sin hoc minus, interpolationis temere suspicionem amplectantur.

Iam accedit tertium quoddam transpositionum genus earum, quas neque ex homoeoteleutis natas neque ex libris Ciceronianis profectas esse dicas. Sunt enim nonnulli loci, ubi de duabus sententiis, ad pauca plerumque vocabula pertinentibus, altera post alteram mutato ordine ab archetypi librario perperam conscripta esse videatur. Erit autem illis locis non cogitandum de interpolationibus, quippe quoniam ex

toto rerum contextu Cornificio dignissima, ex loco vel interpolatore indigna nobis praeberi perspicuum est, erit de transpositionibus. Accidit enim, ut, si in suum quidque locum restituerimus, nihil amplius nobis sit offensioni.

Quae postquam praemunivimus, iam ipsos aggrediamur locos verborum transpositionibus vitiatos. Sed ita visum est instituere quaestionem, ut non solum in suum quidque locum restituendi munere fungeremur, sed diligentius examinantes scriptoris et verba et sententias pluribus in singulis locis commoraremur, quo magis appareret, et quae esset eorum natura, quaeque causae ad transponendum nos compellerent. Nec ad verborum tantum placuit animum advertere transpositiones, sed quaecunque etiam alia illis locis deprehenderemus aut vitiosa aut suspecta, in ea et ipsa animo proposuimus inquirere et, quantum esset in nobis, singulos locos emendare. Idque eo magis nobis condonabis, quod, ni convenerit de verbis ipsis, difficile iam fuerit disputare de eorum transpositionibus. Disputationis autem eum ordinem observabimus, ut rerum ac verborum seriem, quantum eius fieri poterit, retineamus et suo quidque loco absolvamus.

Liber I.

I, 6, 9 post in. *'Tria sunt tempora, in quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut quom turpem causam habemus, hoc est, quom ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut quom animus auditoris persuasus esse videtur ab iis, qui ante contra dixerunt; aut quom defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt. Si causa turpitu-*

dinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem, non hominem spectari oportere; non placere nobis ipsis, quae facta dicantur ab advorsariis, et esse indigna aut nefaria: deinde quom diu rem auxerimus, nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa aut de eadem aut de minore aut de maiore proferemus, deinde ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem conferemus; aut negabimus, nos de advorsariis aliqua re dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione verborum'.

Quibus in verbis Kayserus*) religiose secutus est lectionem, quam praebent optimi qui perhibentur libri, nisi quod '*aut de minore aut de maiore*' otiosa ex Cic. inv. I, 28, 41 huc translata esse suspicatus est. Quod neutrum recte eum fecisse assentientur, quicunque accuratius totum hunc locum examinaverint. Cornificius enim postquam generatim supra significavit, quibus in temporibus insinuatione utendum esse videretur, singillatim deinceps docet, quibus maxime rationibus auditoris animum reconciliare nobis possimus abalienatum causae turpitudine. Quod cum sic se habeat, merito offendimur in verbis '*rem, non hominem spectari oportere*'. An consentaneum putamus esse, qui brevi ante exposuerit, quam causam intellegeret turpem (scil. '*quom ipsa res animum auditoris a nobis alienat*'), eundem h. l. hanc instituere exordiundi rationem, ut dicat '*rem, non hominem spectari oportere*'? Proprius erat scribere '*hominem, non rem*', quod idem Emmerani

*) Proficiscimur enim et hoc loco et aliis locis omnibus a Kayseri ed. crit. Lipsiae MDCCCLIV.

1 (μ) codicis margini adscriptum est altera manu, docti opinor alicuius viri et ipsius h. l. haerentis. Sed ne id quidem nobis satisfaciet considerantibus, turpitudinem duabus potissimum de causis posse proficisci. Proficiscitur enim, ut auctores sunt veteres artis scriptores, aut ab homine aut ab re. Qua in utraque causa quid faciundum quove confugiendum esset oratori, veri est simile tradidisse Cornificium. (Velut scriptum est apud Ciceronem de inv. I, 17, 24 in. *'Si causae turpitudo contraxit offensionem, aut pro eo homine, in quo offenditur, alium hominem, qui diligitur, interponi oportet; aut pro re, in qua offenditur, aliam rem, quae probatur; aut pro re hominem, aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur'*. Item apud Quint. inst. or. IV, 1, 44 post in. *'Illud in universum praeceperim, ut ab iis, quae laedunt, ad ea, quae prosunt, refugiamus; si causa laborabimus, persona subveniat, si persona, causa'*.) *) Sin illud minus, melius profecto erat utrumque praetermittere quam alterum omittere, quod solum omitti non debeat, et afferre id, quod unum ferri nequeat. Quid multa? Nonne egregie nobis subveniunt ipsi libri manu scripti? Habent sane aliquot codices haud spernendae auctoritatis verba *'hominem, non rem, aut rem, non hominem'*, quae omnem prorsus difficultatem amovere videantur. Sed haec lectio, quo est rerum ac verborum contextui accommodatior, eo maiorem prae

*) Quae ex Cic. de inv. libris afferenda erant, in iis Weidnerianam secuti sumus auctoritatem; quae ex Quintiliani inst. or. libris laudavimus, Halmi debemus ed. crit., quam in lucem ille edidit Lipsiae MDCCCLXVIII.

se fert emendationis suspicionem interpolatoris, qui hoc modo optime explere sibi visus sit librorum lacunam. Multo maioris est momenti, quod praebet praeter deterioris notae aliquos codices praestantissimus ille Bambergensis 423 (b), quem librum XII. saeculo exaratum ex antiquissimo exemplo seu archetypo transcriptum Kayserus suspicatus est, Destinonius gravissimis et firmissimis argumentis fulsit, ita ut iam nemo de eius virtutibus dubitare possit. Quid igitur impedit, quominus in hanc quasi arcem refugiamus, si modo quod petimus auxilium ibi invenimus? Servavit sane hic liber ex archetypo ea plena, quorum parte altera carent vetustissimi libri, verba dico *'rem non hominem, hominem non rem'.*)* Quae lectio, ut primo statim adspectu minus tibi arridebit, quippe qui alium desideres verborum ordinem, ita altius rem inquirenti nihil prorsus erit, quod tuo iure huic opponas. Accedit, quod nullam omnino movet interpolationis suspicionem.

Qua in lectione cur non acquieverit Klotzius et seu de sua sententia seu ex Rhedigerani (ϱ^1) codicis sordibus seu alio nescio quo auctore addiderit coniunctionem *aut,* equidem causam perspicio nullam. Verborum enim similitudine factum esse perspicuum est, ut librarius oculorum lapsu alteram eorum partem omitteret, sed omisisse quemquam *aut* coniunctionem ante redintegratum *hominis* vocabulum non est verisimile. Immo vero saepissime in libris Cornificianis usu venit, ut recentiorum codicum li-

*) Quod idem habet codex Monasteriensis, quem librum novissime collatum Langenius censuit nonnullis locis solum veram scripturam servasse, aliis cum uno alterove in vera scriptura tradenda consentire.

brarii, de industria interpolatis coniunctionibus, sermonem aptiorem reddere sint conati.*) Denique quod Cicero l. l. aperte Cornificium imitatus bis usurpavit illam coniunctionem, velut *'aut pro re hominem, aut pro homine rem'*, non tanti esse debebit, ut recipiamus voculam nullius nisi deterrimi codicis auctoritate nisam.

Sed iam ad eam rem aggrediamur, quae imprimis causam nobis intulit, cur in ipsum hunc locum inquireremus. Neque enim ea, quae sequuntur, recte nobis fluere videntur, quamquam neminem adhuc in iis offendisse videmus. Namque quod Kayserus verba *'aut de minore aut de maiore'* interpolatoris alicuius opera ex Cic. inv. I, 28, 41 med. huc translata esse suspicatur, nihili esse dicas, quippe qui Ciceronis verba ab hac re prorsus aliena laudarit, gravissimum illum de insinuatione locum, qui est apud eundem I, 17, 24 extr., plane neglexerit. Hunc, hunc dico locum, interpolationis fontem, si quidem est interpolatio, intellegere debebat. Sed tantum abest, ut hac in re eius vestigiis insistamus, omnem ut interpolationis suspicionem amovere conemur. Quid enim tam est probabile quam credere, Ciceronem h. l. ut in re nova et a Cornificio primo in medium prolata**) religiose nostrum scriptorem secutum esse, ita tamen, ut quae ille una sententia breviter strictimque dixerat velut: *'aut aliquorum iudicium de simili causa aut de eadem aut de minore aut de maiore proferemus'*, hic iam latius perscriberet, usurpatis iisdem fere quae apud Cornificium deprehenderat verbis,

*) Qua de re uberius disputavit Simonius libello, vernacula lingua qui inscribitur: Die Handschriften der Rhetorik an Herennius. II. Abtheilung. Programm der k. Studienanstalt Schweinfurt 1864.

**) Velim conferas, quae diximus in praef. pag. 7 sqq.

duabus sententiis sic *'et aliquorum iudicium simili de re aut auctoritatem proferre imitatione dignam, deinde eandem aut consimilem aut maiorem aut minorem agi rem in praesentia demonstrare'*. Qua in re perspicuum est alteram Ciceronis sententiam *'deinde... demonstrare'* egregium in modum respondere verbis Cornificianis *'aut de eadem aut de minore aut de maiore'*, quae per παρένθεσιν quam dicunt verbis *'de simili causa'*, addita esse cum ex aliis rebus tum ex hoc ipso verborum ordine apparet. Similis autem est causa auctore Cornificio aut eadem aut minor aut maior. *)

Quae omnia si animo perpenderis, non dubitabis concedere nullam prorsus in ea re subesse interpolationis suspicionem.

Sed non haec est Ostmanni opinio, qui nuperrime Kayseri partes secutus denuo haec verba impugnavit. **) Arbitratus enim est ille aut Cic. inv. I, 17, 24 extr., aut nostro loco haec verba accommodata esse. 'Addidisse, qui non considerasset, nihil referre, quod discrimen amplitudinis inter

*) Idem scriptum est apud Quint. inst. or. VII, 8, 7 med. *'Simile autem et maius est et par et minus.'* Conferendus est etiam Quint. V, 10, 87 in. *'Adposita vel comparativa dicuntur, quae minora ex maioribus, maiora ex minoribus, paria ex paribus probant'*. Porro Cic. de inv. I, 28, 41 med. *'Adiunctum negotio autem id intellegitur, quod maius et quod minus et quod aeque magnum et quod simile erit ei negotio, quo de agitur'*. Quae quidem verba tantum abest ut Cornificiana adulterina esse demonstrent, ut iis ipsis non dubitemus uti ad comprobandam nostram sententiam. Laudandus est denique locus eiusdem libri impeditissimus, quem et ipsum in suspicionem vocavit Kayserus. Legimus enim II, 12, 18 med. *'In causa rationali primum quaeretur, ecquid de rebus maioribus aut minoribus aut similibus similiter scriptum aut iudicatum sit'*.

**) De additamentis, quae in rhetoricis ad Herennium inveniuntur, antiquioribus. Dissertatio inaug. philol. Vratislaviae.

causas, de qua iudicium proferretur et quae ageretur, esset, sed id solum spectari, utrum similes essent, an forte plane eaedem, quod si non esset, omnino eas inter se non esse comparandas.'

Et nos quidem non impediemus Ostmannum, quominus amplitudinis causarum mentionem hic fieri vituperet, modo ne interpolatori id vitio vertat, quod, cum idem et in hoc libro et in Ciceronis arte legatur optimo quoque codice oblatum, scriptoribus ipsis dubium non est quin in rationem sit inducendum; praesertim cum, ad Ciceronem quod attinet, unius Victorini*) testimonium omnem nobis scrupulum eximere oporteat. Qui vir et ipsa illa verba laudavit et ad hunc modum explanavit: *'Deinde eandem aut consimilem aut maiorem aut minorem agi rem in praesentia demonstrare] etenim semper post exemplum facienda est comparatio. Comparatio porro nunc a pari, nunc a maiori, nunc a minori semper fiat necesse est'.*

Iam opponat mihi aliquis: cave ne facias ineptissimum, qui Ciceronis *'deinde... demonstrare'* dixeris respondere Cornifici *'aut de eadem aut de minore aut de maiore'*. Quid quod brevi post legimus apud eundem *'deinde... similitudinem conferemus'?* Quid aliud arbitraris his verbis Cornif. dixisse nisi quod idem significent illa Ciceroniana? Sed habeo quod contra dicam. Ut enim illo loco Ciceroniano nihil non recte se habere videtur, cum quae priore sententia breviter erant praecepta, altera in singulas partes distribuantur, ita h. l., ubi in unam omnia sententiam comprehensa videamus esse, quae sequuntur

*) C. Marii Victorini expositio in rhetorica Ciceronis, quam velim inspicias apud Orellium, M. T. Ciceronis opera, vol. V. part. I, p. 53 med.

verba *'similitudinem conferemus',* quoad illum locum Ciceronianum, si non incommoda, at supervacanea et inutilia esse videntur. Sed sunt ferenda; sunt alia, quae ferri nequeant. Quis enim non merito reprehendat, quibus ambagibus ad illa ipsa oratio transducatur, sin aliter vera sunt Cornifici verba, quae praebent ad unum fere omnes libri manu scripti *'deinde ad nostram causam pedetemptim accedemus'?* Nec mirum, quod nihil eiusmodi l. l. invenias apud Ciceronem. Sed alienum hoc quidem est etiam a Cornificio neque omnino ferendum. Accedit quod, quae verba hic male rerum seriem interrumpere videntur, alio loco aegre desiderantur. Redeamus ad ea, quae supra reliquimus. Legimus brevi ante: *'deinde quom diu rem auxerimus, n i h i l s i m i l e a nobis factum ostendemus'.* Quid tibi videris causae fuisse, cur *'nihil simile'* Cornif. usurparet pro *nihil* nude posito aut pro *nihil eiusmodi* aut denique pro *nihil eorum,* quod idem l. l. adhibuit Cicero? Verum enim vero ex ea ipsa re, quod minus usitato dicendi genere *'nihil simile'* Cornif. usus est, tuo iure conicias, *similitudinis* aliquam vocem et in superioribus fuisse eamque una cum aliis nonnullis verbis librariorum in describendo socordia esse omissam. Accidit autem, ut, quae modo in sequentibus verbis aegre ferenda aut omnino non ferenda visa sunt, eadem in hunc locum translata optimam sententiam praebeant, verba dicimus (omissa videlicet particula *deinde,* quam mutato demum sententiarum ordine additam esse perspicuum est) *'ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem conferemus'.* Neque enim hic *'similitudinem conferemus'* inane trahetur, cui egregie nunc respondeat *'nihil simile a nobis factum ostendemus',* neque *'ad nostram causam pedetemptim accedemus'*

cuiquam hic erit offensioni, ubi eiusmodi dicendi latitudo rerum contextui accommodatissima esse videatur, et, id quod maximi erit momenti, Ciceronis ipsius exemplo, qui iisdem fere verbis, novis tantummodo ambagibus auctis, l. l. usus sit, vere Cornificiana efficiatur. Sunt autem Ciceronis haec: *'Deinde, cum iam mitior factus erit auditor, ingredi pedetemptim in defensionem et dicere ea, quae indignentur adversarii, tibi quoque indigna videri: deinde, cum lenieris eum, qui audiet, demonstrare nihil eorum ad te pertinere.'* Ipsum mehercule Cornificium audire videris.

Quod si iam mihi concedes, eam huic loco parandam esse medicinam, ut, quae adulterino loco libris tradita esse demonstravimus, in suum locum restituamus, hanc nanciscemur totius loci lectionem, cuius in parte extrema non dubitavimus partes sequi Iwani Muelleri*), qui ad Ciceronis auctoritatem deleri iussit verba aperte interpolata *'aliqua re'*, ad quae ex codicum editorumque discrepantia confugerat Kayserus. Legimus igitur:

'Tria sunt tempora, in quibus principio uti non possumus, quae diligenter sunt consideranda: aut quom turpem causam habemus, hoc est, quom ipsa res animum auditoris a nobis alienat; aut quom animus auditoris persuasus esse videtur ab iis, qui ante contra dixerunt; aut quom defessus est eos audiendo, qui ante dixerunt. Si causa turpitudinem habebit, exordiri poterimus his rationibus: rem non hominem, hominem non rem spectari oportere; non placere nobis ipsis, quae facta dicantur

---

*) Bursians Jahresbericht über die Fortschritte der classischen Alterthumswissenschaft. Jahrgang 1877, p. 227.

*ab advorsariis et esse indigna aut nefaria: deinde quom diu rem auxerimus, *ad nostram causam pedetemptim accedemus et similitudinem CONFEREMUS, [nihil simile a nobis factum ostendemus; aut aliquorum iudicium de simili causa — aut de eadem aut de minore aut de maiore — PROFEREMUS]*); aut negabimus, nos de advorsariis dicturos, et tamen occulte dicemus interiectione verborum'.*

Jam si haec omnia recte nos observasse concesseris, neque unde orta sit ista verborum in libris transpositio, amplius dubitabis. Quid enim tam est probabile, quam librarium aliquem in describendo codice antiquissimo deceptum verborum *conferemus* et *proferemus* similitudine ab altero ad alterum oculis deerrasse, media *'nihil simile . . . proferemus'* omisisse, errore patefacto margini deinde adscripsisse; unde ab alio librario nescio, cuiusnam essent loci, alienissimo denique loco in textum denuo illata esse videantur.

Ad alterum priusquam aggrediamur locum verborum transpositione depravatum, brevibus liceat attingere Destinoni in I, 9, 14 extr. suspicionem. Legimus ibi cum Kaysero aliisque editoribus cum alia tum haec brevitatis praecepta:

'Et ne bis aut saepius idem dicamus, cavendum est; etiam ne id, quod semel diximus, deinceps dicamus, hoc modo sqq.'

Negavit Destinonius inter duo illa brevitatis praecepta quidquam discriminis intercedere, quare alterum, utpote ab

---

*) Uncis inclusimus, quae excidisse et in margine adscripta fuisse putamus, stellulis significavimus, quo loco adulterino in textum denuo illa irrepsisse arbitramur.

interprete aliquo 'vel artis suae ostentandae vel rei explicandae consilio' illatum, delendum esse opinatur*). Quod nequaquam ei assentiendum esse putamus. Quem enim existimamus interpretem, ut explicaret rem si quae alia claram atque dilucidam, addidisse, quod ipsum explicatione vel maxime indigeret? Aut quae est ostentatio, quod semel dictum est plane atque dilucide, idem dicere iterum obscurius? Namque ne ipsum quidem Destinonium, *'deinceps dicere'* quid sibi vellet, recte intellexisse perspicuum est. Interest enim, interest inter *'bis aut saepius idem dicere'* et *'dicere deinceps'*, quippe quorum illud propriam significet tautologiam, hoc aliud *περισσολογίας* quam dicunt genus, item vitandum. Continetur autem hoc, id quod ex ipsius *deinceps* vocabuli colligendum est etymologia, eo, ut proximum quodque enunciatum introducatur quodammodo novissimi cuiusque repetitione. Ne autem omnino posset dubitari, quid sibi vellet hoc praeceptum, perbene vitiosi eius dicendi generis exemplum addidit Cornificius hoc:

'Athenis Megaram vesperi advenit Simo:
Ubi advenit Megaram e. q. s.'

Consimile est Ciceronis de eadem re praeceptum in inv. I, 20, 28 med. *'Et si semel unum quidque dicetur; et si non ab eo, quo modo desitum erit, deinceps incipietur'*. Quod alterum praeceptum Victorinus l. l. p. 59 med. ad hunc modum explanavit: *'...id est, ne a re illa, quam nuper diximus, ad aliam rem sumamus exordium. Si dicas: profectus urbe sum: et cum essem profectus, ad villam veni: et cum venissem....'* Qua re una satis confutatam esse opinamur Destinoni suspicionem.

*) Vide apud ipsum p. 20. ann.

Quod postquam convenit inter nos, iam inquiramus in eum locum, qui subsequitur de narrationis perspicuitate. Praecipiunt autem hac de re consimilia vel potius eadem Cornificius et Cicero. Scriptum enim est

Cornif. I, 9, 15:

'*Rem dilucide narrabimus, si, ut quicquid primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem observabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur — hic erit considerandum, ne quid perturbate ne quid nove dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus — et si sequemur ea, quae de brevitate praecepta sunt; nam quo brevior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.*'

Cic. inv. I, 20, 29:

'*Aperta autem narratio poterit esse, si, ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur, et rerum ac temporum ordo servabitur, ut ita narrentur, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereatur; et omnino, quae praecepta de brevitate sunt, hoc quoque in genere sunt conservanda. Nam saepe res parum est intellecta longitudine magis quam obscuritate narrationis.*'

Perscrutati sunt difficillimum hunc locum Kayserus*) et post eum Sieversius**), quorum uterque offenderat in verbis *'ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur'*, ita tamen, ut, quae ille dilucidius (sic!) scriptorem alio ordine dicturum fuisse neque dixisse concesserit, hic iam neque illo loco neque omnino retinenda esse sibi persuaserit. Provocavit uterque ad simillimum Ciceronianum locum, quem supra maluimus iuxta adscribere, quo magis eorum perspicua foret ex comparatione similitudo, ille, ut ex eadem utriusque scriptoris similitudine verborum ordinem mutari vetaret, hic, ut ex eorum in similitudine discrepantia spuriam et adulterinam esse librorum lectionem demonstraret. Quorum neuter plane mihi satisfecit. Et Kayserus quidem haud scio an in eo reprehendendus sit, quod tantum apud eum valent Ciceronis illa verba, ut non vereatur insimulare Cornificium, in tradendis dilucide narrandi praeceptis ne ipsum quidem dixisse satis dilucide. Defendit ab hac illum iniuria Sieversius, sed eius quominus amplectamur sententiam, haud pauca nos avocant. Monent enim, ne quid temere animum inducamus eicere, et ea, quae proxime antecedunt, verba dicimus: *'dilucide narrabimus si .... et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur'*, quae et ipsa apud utrumque scriptorem eadem inveniantur, nisi quod in Cic. libro ante *ut* coniunctionem interiecta sunt verba *'ut ita narrentur'*, quae (sc. *ut ita narremus*) nostro deesse eo magis miramur, quod non possumus non fateri, orationem multo melius fluere interiecta illa sententia quam omissa. Quid igitur, nostro

*) in ed. crit. notis p. 224 med.
**) Rhein. Mus. XXVIII. p. 571 f.

iure quaerimus, esse potuit causae, cur, quem brevi post cum incommodo huius libri Ciceroniana huc transtulisse suspicatur Sieversius, idem h. l., quae ex usu illius transferre posset, transferre omnino nollet? Nullam vero eius rei causam esse videmus, nisi forte quis existimat, interpolatorem tam teretes aures habuisse, ut taederet eum praesenti tempore repetere *narrandi* verbum iam supra futuro tempore usurpatum. Sed ne id quidem cuiquam credibile erit. Sequitur, ut ne in iis quidem verbis, quae Sieversio suspecta esse videbantur, liceat ad interpolationis praepropere suspicionem confugere.

Hoc postquam praemonuimus, iam ipsa verba, de quibus agitur, accuratius examinemus, quo magis appareat, quid tolerabile sit, quid ferri nequeat. Id enim assentiendum erit Sieversio, brevitatis praecepta in iis, quae per *παρένθεσιν* quasi conscripta sunt, admitti non posse. Quaeritur, quae sint brevitatis praecepta, quae non sint. Ut enim verba *'ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur'* propria esse brevitatis et inepte h. l. in perspicuitatis praeceptis repetita, nemo non faciet cum Sieversio, ita, quod attinet ad verba *'ne quam in aliam rem transeamus'*, perspicuitatis magis quam brevitatis esse nemo negabit. Quae verba ut eandem atque illa rationem sequi putarent Kayserus et Sieversius, inde factum esse arbitror, quod eadem et in iis contineri existimarent, quae de brevitate paullo ante praecepisset Cornificius.*)

Et Sieversius quidem, ut demonstraret praeceptorum illorum quandam convenientiam, de brevitatis legibus has

*) Quem locum artissime cum perspicuitatis praeceptis cohaerentem totum infra p. 29, absoluta hac disputatione, imprimendum curavimus.

tantummodo laudavit: *'rem breviter narrare poterimus, si ... non ab ultimo initio repetere volemus, ... et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur, et si transitionibus nullis utemur sqq'.* Unde perspicuum est, eum et *transitionis* substantivo et *transeundi* verbo eandem vim adsignasse, ita ut et *'transitionibus nullis uti'* et *'non transire in aliam rem'* promiscue Cornificium in brevitatis et in perspicuitatis praeceptis usurpasse arbitraretur. Sed intercedit aliquod inter duas illas voces discrimen. *'Transitionibus uti'* quid significet, vel optime cognoscimus ex eiusdem libro IV, 26, 35 extr. *'Transitio vocatur, quae quom ostendit breviter, quid dictum sit, proponit item brevi quid sequatur.'* Qua in ipsius scriptoris interpretatione acquiescendum nobis erit, quamquam Ciceronem et in brevitatis et in perspicuitatis praeceptis unum idemque *transeundi* verbum adhibuisse videmus.*) Sed caveamus, ne ex verborum similitudine praepropere de rebus ipsis iudicium faciamus. Namque Ciceronianum illud brevitatis praeceptum *'et si non aliam in rem aliquam transibitur'* nihil habet simile voci Cornificianae *'si transitionibus nullis utemur'*, respondet autem iis, quae apud Cornif. subsequuntur, verba dicimus: *'et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere'*, ad quae eadem provocare debebunt et illi, qui perspicuitatis illud praeceptum *'ne quam in aliam rem transeamus'* brevitati vindicare velint. Sed non est brevitatis. Brevitatis enim proprium est praescriptum, ut ne quis a re proposita deerret neve ea re longam orationem producat; perspicuitatis, ne deerrando a re proposita transeat in aliam, qua re obscura atque impedita fiat necesse

*) Quae inspicias quaeso apud ipsum de inv. I, 20, 28.

est causae narratio. Potest enim esse, ut quis deerret de re proposita neque tamen in aliam rem transeat, illud ne fiat, monent brevitatis praecepta, hoc ne committas, perspicuitatis.

Quae cum ita sint, nihil iam impedit, quominus verba *'ne quam in aliam rem transeamus'* suo loco in perspicuitatis praeceptis retineamus. Aliam autem esse rationem verborum *'ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur'*, quae eadem l. l. in brevitatis praeceptis fuisse vidimus, nemo nobis non adstipulabitur. Sin autem verum est, quod de interpolationis suspicione supra exposuimus, ne haec quidem cum Sieversio exstirpabimus. Namque non erit hic cogitandum de interpolatione, erit de transpositione. Dubium enim iam esse nequit, quin haec verba ex loco inferiore huc translata sint falsarii cuiusdam opera Ciceronis temere aucupantis similitudinem neque considerantis, discrepantem verborum ordinem ipsorum verborum deberi discrepantiae. Continetur autem haec cum aliis verbis, tum interiecto apud Cic. adverbio *'omnino'*, quod recte observavit Sieversius.

Ne autem silentio praetermittamus, hac de re quid videatur Ostmanno, qui novissime hunc locum pervestigavit; totus ille quidem est Sieversianus neque quidquam ipse novi ad eam rem attulit nisi quod affirmavit, illa verba *'ne quam . . . . persequamur'* spuria esse cum ipse indagasset, post cognovisse, Sieversium idem censere. Sed nolumus eius laudi obtrectare, modo ne ex illo cum Sieversio consensu erroris sibi sumat immunitatem. Erravit enim cum in hac tum in alia re cum Sieversio Ostmannus. *'Et si transitionibus nullis utemur'*, quod brevitatis praeceptum male intellectum esse a Sieversio supra probavimus, omnino delendum esse l. l. p. 16 med. censet

Ostmannus, cum eodem careat Cicero. Sed videamus, ne mirifice secum ille ipse pugnet, qui hic in brevitatis praeceptis interpolatum esse sibi persuaserit, quoniam unum praeceptum plus legisset in Cornificio quam in Cicerone, illic in perspicuitatis legibus, quoniam easdem apud utrumque deprehendisset. Quo nihil cogitari potest inconstantius. Immo vero: non ea quaestio esse debebit, quid habeat Cicero, quid non habeat, sed quae scripta sunt apud Cornificium, explicationem admittant bonam atque tolerabilem necne. Quod si non est, tum demum ad Ciceronis auctoritatem debemus provocare, si possimus hoc modo verum investigare.

Quae postquam convenerunt inter nos, iam haec erunt, quae de narrationis brevitate atque perspicuitate tradidit Cornificius:

'Rem breviter narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit, et si non ab ultimo initio repetere volemus, et si summatim, non particulatim narrabimus, et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, persequemur, et si transitionibus nullis utemur, et si non deerrabimus ab eo, quod coeperimus exponere, et si exitus rerum ita ponemus, ut ante quoque quae facta sint, sciri possint, tametsi nos reticuerimus, quod genus: si dicam, me ex provincia redisse, profectum quoque in provinciam intellegatur; et omnino non modo id, quod obest, sed etiam id, quod neque obest neque adiuvat, satius est praeterire; et ne bis aut saepius idem dicamus, cavendum est; etiam ne id, quod semel diximus, deinceps dicamus, hoc modo:

Athenis Megaram vesperi advenit Simo ....

Rem dilucide narrabimus, si, ut quicquid primum gestum erit, ita primum exponemus, et rerum ac temporum ordinem conservabimus, ut gestae res erunt aut ut potuisse geri videbuntur — hic erit considerandum, ne quid perturbate, ne quid nove dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne quid, quod ad rem pertineat, praetereamus — et si sequemur ea, quae de brevitate praecepta sunt, [ne ab ultimo repetamus, ne longe persequamur]; nam quo brevior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet'.*

Iam quod non omnia in perspicuitatis expositione comprehendit brevitatis praecepta, tantum abest, ut ei vitio vertamus, ut vel maxime nobis laudandus esse videatur, qui egregie differens a Cicerone ea omiserit, quibus in sermonis perspicuitate proprius locus esse nequeat, repetiverit, quae et ad brevitatem et ad perspicuitatem pariter maxime pertineant.

Sequitur locus de causarum divisione si qui alius impeditissimus. Habent I, 10, 17 in. ad unum fere omnes libri haec:

'Primum enim re narrata debemus aperire, quid nobis conveniat cum advorsariis, quid in controversia sit; si ea, quae utilia nobis erunt, convenient, hoc modo: interfectam esse ab Oreste matrem, convenit mihi cum advorsariis; iurene fecerit et licueritne facere, id est in controversia. item e contrario: Agamemnonem esse a Clytaemnestra occisum confitentur; quom id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse'.*

Quem locum qui integro iudicio erit aggressus neque exemplorum magis quam artis praeceptorum habuerit rationem, non cunctabitur ille hoc mihi concedere, Cornificium

non tam ad accusatoris hic quam ad defensoris munus animum intendisse, ita ut et in verbis *'quid nobis conveniat cum advorsariis'* et in iis, quae sequuntur *,interfectam esse ab Oreste matrem convenit mihi cum advorsariis' advorsarios* intellegeret eos, qui reum aliquem fecissent. Sed accidit nescio quo pacto, ut, quod exemplum prius laudavit scriptor, *'si quae utilia nobis* (accusato videlicet Oresti eiusve defensoribus) *erunt convenient',* sententiam praebere videatur plane contrariam. Nec magis quod *e contrario* postea exemplum attulit, in rem cadere videtur. Porro accidit, ut commutatis inter se exemplis vel maxime accommodata atque perspicua videantur esse ea, quae modo perspicuitatem illam ab omnibus in Cornificio laudatam maximo opere desiderare visa sunt. Accusato enim Oreste defensoribus, quos ipsos loquentes Cornif. induxisse pro certo habemus, non est utile, nihil convenire inter ipsos et adversarios nisi *'interfectam esse ab Oreste matrem'*, utile est autem, ipsos confiteri accusatores *'Agamemnonem esse a Clytaemnestra occisum'*. *)

Quae res cum sic se habeat, non ita alienum fuerit putare, male perturbatum esse in libris exemplorum ordinem. Sed non licet confugere ad verborum transpositionem, quamdiu illa, quo sunt ordine tradita, explicationem admittant tolerabilem. Et nos quidem, quominus temere quidquam agamus, eo ipso impedimur, quod neminem adhuc in iis verbis offendisse videmus. Namque quod Kayserus**) interpretationem amplexus est speciosiorem quam veriorem, non est quod demonstret, suspecta eum ipsum haec verba habuisse. Putavit enim ille, conversas esse utriusque exempli per-

*) Conf. 1, 16, 26 post in. *'Orestes confitetur se occidisse matrem; nisi attulerit facti rationem, perverterit defensionem'.*

**) in ed. crit. notis p. 225 med.

sonas, ita ut qui modo fuisset adversarius, idem in altero exemplo loquens ipse induceretur, qui loquens modo esset inductus, idem adversarii deinde partes ageret. Qui accusarent matricidii Orestem, iis utile esse confiteri ipsum, matrem a se esse interfectam, qui defenderent, iis usui esse, et adversarios confiteri, a Clytaemnestra necem illatam esse Agamemnoni.

Acquiescat qui velit in hac subtilissima loci interpretatione, equidem non acquiescam. Nequeo enim persuadere mihi, qui scriptor dicendi perspicuitate haud paucos superarit, eundem hic scripsisse, quod a communi intellegentia plane disiunctum nisi argutissima explicatione intellegi non possit. Sed in diiudicanda hac re haud parvi erit momenti, quid sibi velint verba '*item e contrario*', quoque modo sint explicanda. Respondent autem, ni egregie fallimur, antecedentibus '*si ea, quae utilia nobis erunt, convenient*', unde colligamus, duplicem instituisse Cornif. rationem eorum, quae convenirent nobis cum adversariis. Aut enim utilia nobis esse aut non esse utilia. Quod alterum '*e contrario*' voce significasse eum consentaneum est, quam oppositam existimamus esse '*utilia*' adiectivo quod aiunt praedicativo. Qua eadem negativae quam dicunt vocis significatione usurpavit '*e contrario*' Cornif. etiam II, **11, 16** in. '*Si ambiguum esse scriptum putabitur, ... hoc modo tractandum est: primum sitne ambiguum, quaerendum est, deinde quo modo scriptum esset, si id, quod advorsarii interpretentur, scriptor fieri voluisset, ostendendum est; deinde id, quod nos interpretemur, et fieri posse et honeste, recte, lege, more, natura, bono et aequo fieri posse; quod advorsarii interpretentur, e contrario* (scil. non honeste, recte e. q. s. fieri posse.)'

Sed alia et vocis '*e contrario*' placet interpretandi ratio Kaysero, qui dixit 'h. e. si, quae adversariis utilia erunt, convenient'. Qua in interpretatione '*e contrario*', *nobis* pronomimi in superioribus verbis oppositum, huic ipsi certum vocis sonum admoveat necesse est; quod fieri ipsa verborum '*si ea, quae utilia nobis erunt, convenient*' vetat collocatio. Quid quod noluit scribere Cornif. '*nobis, quae utilia erunt*' aut '*quae utilia erunt nobis*' aut '*quae nobis erunt utilia*' aut denique '*quae nobis utilia erunt*'? Dubium autem non est, quin *nobis* pronomini si quid ponderis attribuere voluisset, eiusmodi quidquam scripturus fuerit, cum in nostro verborum ordine adiectivum *utilia* nemo non cum accentu enunciaverit.

Quae cum ita sint, iam erit fatendum, male Kayserum rem gessisse, qui exemplorum personas conversas esse affirmarit. Immo vero propius abest a veritate arbitrari, manere personas, res ipsas converti seu potius inter se opponi, ita ut prius agatur de iis rebus, quae conveniant eaedemque nobis sint utiles, deinde de iis, quae conveniant neque sint utiles. Quae omnia si animo perpenderis, iam commutatum esse exemplorum ordinem facilius ut credas adduceris. Habebimus autem suo quidque loco reddentes hanc lectionem Cornifici scribendi docendique consuetudine dignissimam:

'*Causarum divisio in duas partis distributa est: primum enim re narrata debemus aperire, quid nobis conveniat cum advorsariis, quid in controvorsia sit; si ea, quae utilia nobis erunt, convenient, hoc modo:* *[*Agamemnonem esse a Clytaemnestra occisum confitentur; quom id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse*]. Jtem e contrario:* *[*interfectam esse ab*

*) Duabus stellulis usi sumus, quoniam de duobus exemplis alterum in alterius locum commutato ordine substitutum esse putavimus.

Oreste matrem, convenit mihi cum adversariis; iurene fecerit et licueritne facere, id est in controversia'].

Neque unde orta sit foedissima illa exemplorum in libris transpositio, diu nobis erit quaerendum. Est enim hic quoque simillimus locus Ciceronianus, ad cuius rationem falsarium Cornifici verba ab uno in alterum locum veri est simile transtulisse. Scriptum est autem apud Ciceronem de inv. I, 22, 31 med. *'Quae partitio, quid conveniat aut quid non conveniat, ostendit, haec debet illud, quod convenit, inclinare ad suae causae commodum, hoc modo: interfectam matrem esse a filio, convenit mihi cum adversariis. Item contra: interfectam esse a Clytaemnestra Agamemnonem convenit. Nam hic uterque et id posuit, quod conveniebat, et tamen suae causae commodo consuluit.'* Praeteriit hominem falsarium aliam Ciceronis docendi esse rationem, aliam Cornifici, quorum ille et ad accusatoris et ad defensoris munus animum intendens, quidquid convenirent ad suae cuique causae commodum inclinandum esse praeceperit, hic defensoris potissimum officium respiciens monuerit tantum, quo modo ordiendum esse videretur, si utilia convenirent, quoque modo, si convenirent ea, quae utilia non essent. Et Ciceronis quidem quid sibi velit praeceptum, quidque valeant exempla, nemo dubitabit. Quamquam eundem videmus cum emphasi quadam, rei videlicet magis etiam explanandae causa, repetere, quod supra iam monuerat, additis exemplis firmaverat. (Quem locum insuper pluribus interpretatus est Victorinus l. l. p. 64 sub fin.) Sed accidit, ut, quae in Ciceronis docendi ratione nihil habent offensionis, eadem, translata in discrepantem nostri scriptoris artem, omnino ferri non possint. Refugiamus igitur ad propositam illam exemplorum transpositionem.

De constitutione coniecturali brevi post legimus I, 11, 18 med. haec:

'Coniecturalis est, quom de facto controvorsia est, hoc modo: Aiax in silva, postquam resciit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Ulixes intervenit, occisum conspicatur, e corpore telum cruentum educit. Teucer intervenit, fratrem occisum, inimicum fratris cum gladio cruento videt, capitis accersit. Hic coniectura verum quaeritur; de facto erit controvorsia, ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur'.

Improbatur Kaysero redintegratum ex superioribus: '*de facto erit controvorsia*', quibus verbis incommode interpellari arbitratur enunciationes coniunctas '*hic coniectura verum quaeritur: ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur*'. Quod non poteris non facere cum Kaysero. Neque tamen ipsa per se vituperanda erit illorum verborum redintegratio, cum et verba ipsa leviter mutata et alia atque antea eorum offeratur collocatio, vituperabis tuo iure, quod repetita sunt loco alienissimo. Namque quae verba hic male disturbant res artissime inter se cohaerentes, iisdem paullo supra vix possumus carere. Quam ob rem non ad interpolationis cum Kaysero confugiendum erit suspicionem, erit ad transpositionis. Legamus igitur in suum quidque locum restituentes:

'Coniecturalis est, quom de facto controvorsia est, hoc modo: Aiax . . . Hic [de facto erit controvorsia], coniectura verum quaeritur, ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur'.*

Sed iam ad aliam rem transeamus. Scripserunt et de controversia, ex ratiocinatione quae nasceretur, fere eadem:

Cornif. I, 13, 23 in.

'Ex ratiocinatione controvorsia constat, quom res sine propria lege venit in iudicium, quae tamen ab aliis legibus similitudine quadam occupatur. Ea est huius modi: lex est: si furiosus existet, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Et lex: qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem. Et lex: pater familias uti super familia pecuniave sua legaverit, ita ius esto. Et lex: si paterfamilias intestatus moritur, familia pecuniaque eius adgnatum gentiliumque esto'.

Cic. de inv. II, 50, 148.

'Ex ratiocinatione nascitur controversia, cum ex eo, quod uspiam est, ad id, quod nusquam scriptum est, venitur, hoc pacto: Lex: Si furiosus escit, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto. Et lex: Paterfamilias uti super familia pecuniaque sua legassit, ita ius esto. Et lex: Si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque eius adgnatum gentiliumque esto.'

Non convenit inter recentiores editores, rectene se habeant Cornif. verba, quae miro inter se consensu ad unum fere omnes exhibent libri manu scripti. Placuit hac etiam in quaestiuncula proficisci a Kayseri editione, ita ut et in

quibus rebus assentiremur ei, dissentienti ab aliis, et in quibus ipsi ei non adstipularemur, quamvis consentienti cum aliis, in ea omnia diligentius inquireremus.

Et primum quidem reprehendendus est ille, qui cum veteribus huius artis editoribus in prima lege commemoranda, quae est: '*lex est: si furiosus existet sqq.*' ex deterrimae cuiusque notae codicibus retinendum sibi putarit esse auxiliare verbum *est*. Quamquam enim ne nos quidem negamus, magis nobis arridere verba inserta quam omissa illa vocula, et facili negotio fieri potuisse, ut ea per compendium in libro archetypo scripta proximoque nomini adiuncta omitteretur, tantum tamen abest, ut Kayseri vestigiis insistamus, ut deterioribus codicibus in ea re omnem prorsus auctoritatem abrogandam esse existimemus, quippe qui nihil praebeant nisi meram docti alicuius viri coniecturam neque eam probabilem. Immo vero cum consentienti optimorum librorum auctoritate tum Cic. loco simillimo iuxta adscripto, qui et ipse careat illa vocula, compellimur, ne quid illis concedamus. Etenim quae dicendi ratio in commemoranda eadem lege neminem unquam offendit apud Ciceronem, eam non par est apud nostrum haberi mendosam.

Neque de iis verbis, quae apud utrumque scriptorem subsequuntur, in unum omnium congruunt sententiae. Accidit enim, ut in eadem illa lege laudanda Cicero priscae latinitatis formam '*escit*' (i. e. *esse incipit*) adhibuerit, quam eandem illum videmus usurpasse etiam alias, velut in Tuscul. disp. III, 5, 11 sub fin., ubi eiusdem legis mentionem fecit. Unde factum esse perspicuum est, ut recentiores nonnulli Cornificianae artis editores, quorum in numero etiam Klotzium esse video, auctore Schuetzio pro '*existet*', quod, omnes praebent codices, nisi quod pauci, lite-

rula tantum mutata, habent '*existat*,' iubeant legi eandem formam priscam '*escit*.' Accedit, quod nequaquam alienum erat ab illius aetatis scribendi consuetudine, in laudandis praecipue duodecim tabularum legibus priscae latinitatis specimen dare. Sed suo iure impugnavit eam lectionem Ernestius dicens, non necessarium esse auctorem leges afferre voluisse secundum latinitatem priscam. Adde quod et in ea lege, quam tertio loco offerunt Cornif. libri, '*paterfamilias uti super familia sqq.*' Ciceronem priscam formam '*legassit*' usurpasse videmus, quam eandem contra librorum auctoritatem apud Cornificium recipiendam esse ratus est Schuetzius. Qua in utraque re ut dubium esse nequit, quin nullo iure a librorum ille lectione recesserit, ita nescio an maiorem etiam meruerint reprehensionem, qui mirum in modum secum ipsi pugnantes alterum intempestive concesserint Schuetzio, alterum ad codicum fidem retinuerint. Velut Klotzius '*escit*' recipiendum curavit, '*legassit*', quod eandem atque illud rationem sequatur necesse est, repudiavit.

Iam ad illam legem quod attinet, quae altero loco libris offertur, verba dicimus: '*Qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem*', non dubitabis facere cum iis, qui male eam similium legum seriem interrumpere putarunt. Sed cave, ne quid praepropere animum inducas exstirpare, quod ne interpolatorem quidem sanae mentis huic ipsi loco adiecisse probabile est. Est enim vel prima factitandae artis criticae ratio haec, ne quid deleamus in libris traditum, nisi causas cognoverimus, de quibus verba suspecta in textum irrepserint. Quod dubito an hic fieri nequeat. Neque enim alia circumspicientibus nobis eius rei

causa occurrit aliqua ex parte veri similis, nisi ab interprete aliquo hanc legem ad Malleoli infra causam in margine adscriptam fuisse, librarii deinde seu negligentia seu perversitate alieno loco in textum esse receptam. Non repugnabo, quominus in hanc eas sententiam. Equidem non adducor, neque ut cum Schuetzio, Kaysero, aliis exstirpandam neque ut cum Klotzio retinendam esse existimem eam legem, quo est loco in libris tradita. Reputaram enim cum animo, nonne et huic loco medicina parari posset verborum transpositione, et periculum facienti ne tenuissima quidem remansit dubitatio, quin in hunc ordinem leges essent adducendae:

'LEX: si furiosus existet, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas ESTO. [ET LEX: paterfamilias uti super familia pecuniave sua legaverit, ita ius ESTO. ET LEX: si paterfamilias intestatus moritur, familia pecuniaque eius adgnatum gentiliumque ESTO.] ET LEX: qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem'. *

Quem verborum ordinem ut verum scriptoris fuisse mihi persuadeam, haud pauca me compellunt. Et primum quidem, quam legem nulla prorsus societate cum ceteris inter se similibus coniunctam vidimus fuisse, eam in suum iam locum restitutam, perspicuum est, optime leges antecedentes Malleoli causae, quae infra tractatur, cuique ipsa est finitima, adiungere atque adnectere. Accedit quod, quomodo facta sit legum illa in libris perturbatio, facillimum est intellectu. Cui enim vel obiter locum perlustranti non videbitur notabile primam, alteram, tertiam

legem in unam eandemque voculam *'esto'* exire, alteram, tertiam, quartam iisdem verbis *'et lex'* exordiri, ita ut ter efficiatur idem ab una in alteram legem transitus *'ESTO. ET LEX'*. Qua in re fieri non potuit, quin librarius, minus transcribendi negotio intentus, consimili seu eodem transitu deceptus ab una in alteram legem oculis deerraret, adiungeret postea, quae media omiserat, leges dicimus secundam et tertiam, iis, quibus nihil cum illis intercedit similitudinis, dirimeret, quae incorrupta sermonis integritate dirimi non debebant.

Quod quominus ita factum esse contendamus, ne id quidem impedit, quod in deterrimo aliquo codice, Aug., eadem illa lex aucta nonnullis verbis exhibetur, unde Schuetzius et in melioribus libris interpolatoris hic manus grassatas esse suspicatur. Videamus enim, ne nimium tribuat vir doctissimus deterrimi libri nugis. Qui utinam dixisset, illam legem in aliquo libro omnino esse omissam, haud scio an magis ea re adiuturus fuerit interpolationis suspicionem. Etenim, consentiente hac in re omnium codicum auctoritate, neque id cuiusquam ponderis esse debebit, quod l. l. apud Ciceronem tres tantum leges in eadem causa afferuntur, cuius alias quoque in ea re deprehendamus discrepantias.

Sed animi causa inspiciamus, hac de re (l. l. p. 17 med.) quid visum sit Ostmanno. Qui postquam interpolatam esse illam legem, quam apud Cic. l. l. frustra quaereremus, Schuetzio concessit, de interpolationis fonte haec addidit: 'Atqui videmus, quomodo interpolator eam composuerit. Priorem partem ex Ciceronis *„quidam iudicatus est parentem occidisse“* et Cornifici *„Malleolus iudicatus est matrem necasse“* congessit,

in posteriore verba *„obvolutus*, *obligatus*, *devehatur*, *profluentem“*, his Ciceronis *(l. l. §. 149): „obvolutum*, *praeligatum*, *deferretur*, *profluentem“* respondent. Interpolationem igitur deprehendimus, cuius non quidem sententia — nam interpolatoris est —, sed mera verba Ciceronis in causis fuerint‘. Qua in re nostro iure quaerimus, nonne maximo opere ille a se ipso dissentire videatur, qui Schuetzi, Kayseri, aliorum temere amplexus sententiam uno ore et interpolatam legem dixerit esse, quam Cicero non haberet, et eundem Cic. locum interpolationis fontem significarit. Immo vero Ostmannus, cum notatam ex Cicerone illam legem voluit demonstrare, contrariae opinioni vel firmissimum adminiculum ipse applicuit. Quae enim l. l. sequuntur apud Ciceronem Cornificianae illi legi similia*), ita non possunt probare, ab interpolatore aliquo, nisi eum fingamus fuisse hominem versutissimum, — quippe qui Ciceroniana illa in legis formam apud Cornificium redigeret —, quartam illam in Cornif. legem adscriptam esse, ut e contrario Ciceronem ex ea lege, quam suo loco in Cornif. invenerit, repetere nescio an propter aliarum legum dissimilitudinem noluerit, verba tantum causae suae accommodasse appareat.

Adhuc quos examinavimus locos, in iis modo unam, modo plures transpositas deprehendimus sententias. Sunt, in quibus unius tantum verbi transpositione contineatur ordinis perturbatio, neque cuiquam dubium esse potest, quin ex Cic. libris profecta sit transpositio. Velut legimus:

---

*) Legimus apud Cic. de inv. II, 50, 149 in. haec: *‘Quidam iudicatus est parentem occidisse, ei statim, quod effugiendi potestas non fuit, ligneae soleae in pedes inditae sunt; os autem obvolutum est folliculo et praeligatum; deinde est in carcerem deductus, ut ubi esset tantisper, dum culleus, in quem coniectus in profluentem deferretur, conpararetur‘.*

Cornif. I, 14, 24 in.

'Iuridicialis constitutio est, quom factum convenit, set iure an iniuria factum sit, quaeritur. Eius constitutionis partes sunt duae, quarum una apsoluta, altera adsumptiva nominatur. Apsoluta est, quom ..... Adsumptiva pars est, quom per se defensio infirma est, adsumpta extraria re conprobatur. Adsumptivae partes sunt quattuor: concessio, remotio criminis, translatio criminis, conparatio.'

Cic, de inv. I, 11, 15 in.

'Ac iuridicialis quidem ipsa in duas tribuitur partes, absolutam et adsumptivam. Absoluta est, quae ipsa in se continet iuris et iniuriae quaestionem; adsumptiva, quae ipsa ex se nihil dat firmi ad recusationem, foris autem aliquid defensionis adsumit. Eius partes sunt quattuor, concessio, remotio criminis, relatio criminis, conparatio.'

Quibus in verbis id ipsum opinor habet aliquid offensionis, quod in exponendis iuridicialis constitutionis partibus *'apsoluta'* adiectivum nude positum sequitur *'adsumptiva'*, *partis* substantivo proprie adscripto, praesertim cum *constitutionis* quam *partis* vocem ad utrumque adiectivum intellegere malueris. Accedit, quod adsumptiva constitutio insequenti sententia in plures et ipsa partes dividitur, ita ut de duabus deinceps sententiis altera initium capiat ab *'adsumptiva pars est'* altera ab *'adsumptivae partes sunt'*, numero *partis* vocabuli tantummodo commutato. Unde haud alienum fuerit suspicari, interpolatum in priore sententia esse illud substantivum *'pars'*. Quae suspicio magis etiam firmatur recentiorum quorundam codicum lectione, velut in

mixtae originis libris Bambergensi 421 (c) et Rhedigerano 2 (ϱ^2) exhibetur illa vocula post verbum auxiliare *est*, quare haud scio an aliquo iure conicias, intempestiva explicatoris alicuius opera versui in libro archetypo illam fuisse superscriptam, unde in textum deinde alio loco ab alio librario recepta esse videatur. Adde quod neque Cicero l. l., aperte Cornificium imitatus, illud substantivum adscripsit.

Jam ad ipsas adsumptivae constitutionis partes quod attinet, alium in propositione, alium in explanatione earum ordinem deprehendimus.*) Primam enim explanavit Cornif. concessionem, cuius et in propositione primus locus erat, perrexit deinde, quod merito mireris, ad criminis translationem, cuius in propositione locus erat tertius, revertit tum demum ad criminis remotionem, quam altero loco legimus in propositione, ad postremum tractavit et in explanatione et in propositione conparationem. Cum alias Cornif. religiose observasse videamus in rebus explanandis propositionis ordinem, nostro iure h. l. verborum in proponendis rebus perturbatum esse ordinem affirmamus. Quae res cum ipsa ex Cornif. scribendi usu satis sit manifesta, tum nullam prorsus admittit dubitationem conferenti l. l. quid habeat Cicero, unde dubium non est, quin orta sit verborum ista in Cornificio transpositio. Eundem enim illic mirabile dictu deprehendimus propositionis ordinem. Nec est, quod quemquam hic offendat, cum Ciceronem et in earum partium explanatione illum ordinem instituisse videamus. Convenit igitur utriusque scriptoris propositionis, non convenit explanationis ordo. Quid ergo impedit, quominus contendamus, falsarium

*) Conferenda sunt, quae l. l. apud utrumque scriptorem de ea resequantur.

aliquem, Ciceronis temere aucupantem similitudinem, de industria verborum in propositione ordinem mutasse, non considerantem alium ab alio infra ordinem esse institutum. Iam quod pro *'criminis translatio'* Cicero maluit dicere *'relatio criminis'* nullius erit momenti. Ne confunderetur translatio cum constitutione translativa Kayserus id factum esse suspicatur, cui contradicere non est in animo.

Quae postquam enodavimus, et eiecta adulterina *partis* vocula et restituto verborum ordine, quem in una Schuetzi editione recte observatum esse videmus, hanc veram totius loci nanciscemur lectionem:

*'Iuridicialis constitutio est, quom factum convenit, set iure an iniuria factum sit, quaeritur. Eius constitutionis partes sunt duae, quarum una apsoluta, altera adsumptiva nominatur. Apsoluta est, quom .... Adsumptiva est, quom per se defensio infirma est, adsumpta extraria re conprobatur. Adsumptivae partes sunt quattuor: concessio, *[translatio criminis], *[remotio criminis], conparatio.'*

Quos postquam ex primo libro locos tractavimus transpositionibus maxime notabiles, iam sequentur nonnulli loci, in quos potissimum incurrimus in libro secundo.

Liber II.

Totius sententiae iterum indagabimus transpositionem II, 13, 19 post med.:

'Iudicatum est id, de quo sententia lata est aut decretum interpositum. Ea saepe divorsa sunt, ut aliud

alio iudici aut praetori aut consuli aut tribuno plebis placitum sit, et fit, ut de eadem re saepe alius aliud decreverit aut iudicaverit'.

Offenderunt haec Kayserum, qui verbis '*et fit, ut . . . iudicaverit*' inepte putavit iterari, quae antecederent '*ut . . . . placitum sit*'. Nec causam ratus est apparere, cur idem bis diceretur; liquere enim per se, de eadem tantum re agi potuisse. Addere potuit Kayserus, sententiam illam generalem velut '*ut . . . alius aliud decreverit sqq.*' post enunciatum magis singulare, ut quod plurium magistratuum commemoratione res singulas consectetur, ne minime quidem tolerabilem videri. Sed tuo iure quaesiveris, quo pacto Kayserus in textum illud irrepsisse arbitretur, quod scriptori ipsi adsignare vereatur. Ego enim non adducor, ut interpretem aliquem existimem tam male provincia sua functum esse, ut rei per se ipsam planae atque dilucidae explicationem adspergeret tam futilem atque inanem. Adde quod verba '*decreverit*' et '*iudicaverit*' ipsius Cornifici esse haud parvo documento nobis sunt, quae ante leguntur: '*iudicatum est . . . aut decretum interpositum*'. Videamus autem, nonne mutato verborum ordine, quae modo neque scriptore neque interpolatore mediocriter sapienti digna esse cognovimus, bonam sententiam praebeant atque probabilem. Saepissime enim usu venit apud Cornificium, neque apud eum unum, ut, quod prius generatim magis dictum erat, idem accuratius deinceps, additis interdum etiam exemplis, et singulariter magis altera sententia repetatur. Cuius dicendi consuetudinis specimen nobis offeretur, si quod altero loco in libris traditum est, priori loco reddiderimus, ut legamus:

'*Iudicatum est id, de quo sententia lata est aut decretum interpositum. Ea saepe divorsa sunt, *[UT*

*de eadem re saepe alius aliud decreverit aut iudicaverit], et fit, *[UT aliud alio iudici aut praetori aut tribuno plebis placitum sit].'*

Non poteris non concedere, nihil esse in hac verborum collocatione, quod amplius te offendat; neque, qui sit factum, ut male in libris perturbaretur verus sententiarum ordo, multis opus est exponere.

Iterum incurrimus in locum unius vocabuli transpositione vitiatum, locum dicimus, qui est de purgatione II, 16, 23 post in.

'Purgatio est, quom consulto a nobis factum negamus. Ea dividitur in necessitudinem, f o r t u n a m, i n p r u d e n t i a m.'

Quas purgationis partes quod alio supra I, 14, 24 med. alio hic ordine legimus, nihil referre dicas. Legimus enim l. l. de eadem re haec: *'Purgatio est, quom consulto negat se reus fecisse; ea dividitur in fortunam, inprudentiam, necessitatem.'* Neque magis te offendet, quod brevi post II, 17, 25 in. verborum ordinem deprehendas pariter ab utroque hoc abhorrentem: *'Deprecatione utemur, quom fatebimur nos peccasse neque id inprudentis aut fortuito aut necessario fecisse dicemus et tamen ignosci nobis postulabimus.'* Maiori autem tibi erit offensioni, quod in illo ordine, quem nostro loco Cornif. in dividendis purgationis partibus instituerat, nequaquam eum stetisse videmus in iisdem illis partibus uberius explicandis. Accidit enim, ut primum disseruerit de necessitudine, quam et in propositione primum locum tenere perspeximus, transierit deinde ad inprudentiam, cuius in illa locus erat tertius, pervenerit denique ad fortunam, cuius illic locus erat medius. Quod tanto opere abhorret a communi scri-

bendi usu, ut persuadere mihi non possim, recte se habere propositionis ordinem. Par enim erat Cornif. aut eundem quem in propositione instituerat ordinem observare in explanatione aut, deflectentem ab eo, causam rationemque eius rei reddere. Haud alienum visum est conferre, quam rationem hac in re secutus esset Cicero. Scriptum autem est de inv. I, 11, 15 med. *'Haec (sc. purgatio) partes habet tres: inprudentiam, casum, necessitatem'* et II, 31, 94 extr. item *'ea habet partes tres: inprudentiam, casum, necessitudinem'*, quem eundem ille ordinem et in sequenti disputatione retinuit. Neque vero in proponendis explanandisque tantum illis rebus Ciceronem eundem illum ordinem instituisse videmus, sed absoluta etiam disputatione II, 32, 99 med., quotienscunque earum rerum mentionem fecit, eum ordinem observavit, ut unam eandemque vocem medio semper loco poneret. Quos omnes locos si contulerimus, non poterimus non suspicari, hominem falsarium, quod meminisset *fortunae* seu *casus* vocabulum medio semper loco se legisse apud Ciceronem, nulla sequentis explanationis habita ratione medium propositionis locum et in Cornifici arte eidem vocabulo adsignasse. Restituamus igitur integrum ordinem hunc:

*'Purgatio est, quom consulto a nobis factum negamus. Ea dividitur in necessitudinem, *[inprudentiam], *[fortunam]'.*

Propositionis haud dubie et hoc loco et I, 14, 24 in. disturbatum ordinem deprehendimus; est, ubi non propositionis sed explanationis vitiatus ordo esse videatur. Cuius rei documento erit II, 23, 35.

'Vitiosa ratio est, quae ad expositionem non est adcommodata vel propter infirmitatem vel propter

vanitatem. Infirma ratio est, quae non necessario ostendit ita esse, quem ad modum expositum est, velut aput Plautum: .... ratiocinatur.

Vana ratio est, quae ex falsa causa constat, hoc modo: .... confiteremur. Itemque infirma ratio est, quae non necessariam causam adfert expositionis; velut Pacuvius sqq.'

Duo vitiosae rationis genera proponit Cornif.: *infirmum* et *vanum*. Quod utrumque genus multis in sequentibus persequitur ita, ut initium capiat ab infirma ratione explananda, pergat deinde ad illustrandam rationem vanam, qua absoluta revertatur denuo ad infirmae rationis tractationem, cuius plura deinceps exempla enumeret eodem semper usus exordio: '*item infirma ratio est*'. Sed cave, ne Cornificio imputes, quod librariorum factum esse perspicuum est socordia. An tu arbitraris, tam male nostrum artis scriptorem rem suam gessisse, ut turpissimum in modum dirimeret rerum seriem interpositis iis, quae dilucide in propositione secreverat. Immo vero vanae rationis expositio aut ante infirmam rationem aut post eam locum habet. Quodsi minus, singularis cuiusdam ordinis causa quae esset, afferre debebat Cornificius. Cuius ex argumento quod aiunt e silentio nemo non suo iure suspicabitur, male et hic sententiarum ordinem esse perturbatum. Quae cum ita sint, iam ad Schuetzianam illam confugiamus verborum transpositionem, quae nescio quo pacto ab omnibus adhuc editoribus repudiata in oblivionem paene iam adducta erat. Rectius itaque legamus:

'*Vitiosa ratio est, quae ad expositionem non est adcommodata vel propter infirmitatem vel propter vani-*

*tatem. *Vana ratio est, quae ex falsa causa constat, hoc modo: amor fugiendus non est, nam ex eo verissuma nascitur amicitia; aut hoc modo: philosophia vitanda est; adfert enim socordiam atque desidiam. Nam hae rationes nisi falsae essent, expositiones quoque earum veras esse confiteremur.*

[INFIRMA RATIO EST, QUAE NON NECESSARIO ostendit ita esse, quem ad modum expositum est, velut aput Plautum:

Amicum castigare ob meritam noxiam
inmune est facinus, verum in aetate utile
et conducibile.

Haec expositio est; videamus, quae ratio adferatur:

Nam ego amicum hodie meum
concastigabo pro commissa noxia.

Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri convenit, utile quid sit, ratiocinatur. Item] INFIRMA RATIO EST, QUAE NON NECESSARIAM causam adfert expositionis; velut Pacuvius sqq.'

Cum utrumque hoc infirmae rationis exemplum ordiatur ab iisdem verbis '*infirma ratio est, quae non necessari ..*' facillime fieri potuit, ut, deerrantibus ab uno in alterum locum librarii oculis, prius infirmae rationis exemplum omitteretur, margini ut assolebat postea adscriberetur, iniusto loco in textum denuo reciperetur *). Cuius in adulterinum

*) Pergratum mihi accidit, ut, postquam in officinam typographicam misi aliquam partem huius scriptiunculae, ex novissimo Philologi volumine (37, p. 386) cognoscerem, Langenium et ipsum h. l. transpositionem factam esse sibi persuasisse. Erravit autem vir doctissimus, cum dixit, quae in paragrapho 35, exposita essent de

locum restitutionis haud scio an haec fuerit causa, quod et in propositione infirmitatis prius quam vanitatis mentio facta erat, ita ut non moratus librarius, plura infirmae rationis exempla vanae rationis expositionem subsequi, quod in margine exemplum legisset, id quasi unum esset, priore loco in textum recipiendum esse arbitraretur. Qua in re fieri non potuit, quin particula *'item'*, qua alterum infirmitatis exemplum adiungitur, plane praetermitteretur, restitutis deinde ex margine illis verbis, et ipsa facillima emendatione coniecturali suo loco redderetur ita tamen, ut nunc suffixa quam aiunt vocula *que* aucta in melioribus libris offeratur. Ne autem diu dubius sis, quid magis huic loco conveniat, cum et *itemque* et *item* in libris coniectura quaesitum esse videatur, restitutis iam in suum ordinem exemplis, recentiorum librorum *item*, quo omnia deinceps eiusdem generis exempla introducantur, quodque idem Langenius ex codice Monasteriensi l. l. nuperrime exscripserit, propius abesse a veritate omnes nobis assentientur.

Sed iam monent praescripti huic opusculo limites, ne longius rem persequamur, quam ob rem, quae alia cum in hoc libro tum in tertio et quarto huius artis libris enotavimus, alii et tempori et loco reservemus.

---

vana ratione, ea in archetypo primo omissa postea ad marginem adscripta esse videri. Sed non vanae sed infirmae rationis aliquod exemplum excidisse et homoeoteleutis factam esse verborum transpositionem Langenius non recusabit nobis concedere.